

ita providere suis prædestinatis, ut regulariter per ordinarias causas et media pro omnibus destinata illis provideat, eosque suos motus agere sinat, non solum necessitatem eis non inferendo, verum etiam nec copiosiora auxilia quam generales causæ gratiæ postulant, illis tribuendo. Hinc ergo, quasi morali consecutione necessaria, fit ut multa auxilia sint in eis inefficacia, quæ quidem inefficacia, cum non sit a Deo intenta, sed permissa, non oportet aliam rationem illius permissionis quærere, nisi quia non oportet, propter prædestinationem, ordinarium cursum causarum et libertatis impedire aut immutare; solum enim id facit Deus cum prædestinato, quando prævidet sine specialissima providentia, vel abundantioribus auxiliis illum non esse consecuturum terminum electionis suæ. Quoties autem ordinaria auxilia sufficiunt, et, licet interdum inefficacia sint futura, tandem plura, vel quæ satis sint futura, sunt efficacia, per illa omnia Deus prædestinatum ordinat ad gloriam, et ita fit ut cum auxiliis efficacibus simul aliqua inefficacia recipiat.

9. *An auxilia sufficientia sint effectus prædestinationis?—Talia auxilia non dantur prædestinatis, ut sunt inefficacia, sed ut possunt esse efficacia, si prædestinatus velit.*—Deinde quæri potest an talia auxilia inefficacia dentur prædestinato, ut prædestinatus est, vel sub alia ratione, in qua etiam alia interrogatio continetur, videlicet, an hæc auxilia sufficientia sint effectus prædestinationis. Ad quæ breviter respondeo, si consideretur auxilium sufficiens quoad carentiam efficaciam, per se loquendo, sub illa ratione non dari prædestinato ut prædestinatus est, sed potius permitti in illo, quia ad majorem gloriam non est electus. Probatur, quia illa inefficacia auxilii etiam in prædestinato non est a Deo, neque ex intentione ejus, quia nunquam est aliquid boni, ideoque tantum est permissa: ergo per se non conducit ad terminum prædestinationis consequendum; ergo auxilium sufficiens sub ea ratione non confertur prædestinato, ut talis est. Si vero consideretur illud auxilium quatenus de se promovet ad bonum, et potest esse efficax si homo velit, sic per se quidem intenditur et datur a Deo: per se autem non videtur dari ex peculiari intentione prædestinationis, sed ex generali providentia gratiæ, seu ex voluntate generali et antecedenti, qua Deus vult homines salvare et promovere, si per ipsos non steterit.

10. *Eadem auxilia prosunt ad finem præ-*

destinationis.—Nihilominus tamen fieri potest ut hæc auxilia, quæ in prædestinato sunt inefficacia ad effectum propter quem proxime dantur, alia ratione sint utilia, et in re ipsa aliquid prosint ad finem prædestinationis consequendum, et sub ea ratione possunt esse effectus prædestinationis, et dari prædestinato, quatenus prædestinatus est, ex intentione divina, quantum ad id boni quod est in auxilio, vel ex permissione quantum ad malum vel defectum qui in resistentia liberi arbitrii invenitur; fieri enim potest ut auxilia, quæ fuerunt tantum sufficientia, quatenus sunt Dei beneficia postea in memoriam revocata fuerint, ad gratitudinem, vel ad gratiarum actionem, et ad congruitatem et efficaciam ultimi auxilii, vel quatenus illis repugnatum est conferant ad dolorem et poenitentiam. Unde sicut permissio peccati potest esse effectus prædestinationis, ita etiam permissio inefficaciæ cujuscumque auxilii, et sicut alia beneficia divina, si eis bene utatur prædestinatus in ordine ad salutem æternam, possunt esse effectus prædestinationis, ita etiam auxilia sufficientia, quatenus magna Dei beneficia sunt, ex prædestinatione esse possunt, et homini ut prædestinato conferri.

11. *Respondetur argumentis, ac primo ad primum.*—Ad argumenta in principio posita respondendum superest, et quidem in verbis Isidori, gratia spiritualis non significat quamcumque internam gratiam, vel sufficientem, sed illam quæ congrua est, et ad salutem perducit. Ad rationem autem, quia hic non distributive, sed indefinite de reprobis loquimur, satis esset respondere Christianos omnes qui damnantur, habuisse auxilium sufficiens ad salutem, quia potuissent agere poenitentiam peccatorum, et post illam possent in adepta justitia perseverare, si velint; utrumque enim definit Concilium Trident., sess. 6, cap. 11, 13 et 14, et de poenitentia id repetit sess. 14. Item omnes qui sufficienter audiunt Evangelium, sufficiens auxilium ad credendum recipiunt, licet nunquam credant; qui vero nec Evangelium audierunt, forte non accipiunt auxilium proxime sufficiens ad salutem, vel ad fidem; accipiunt autem, saltem remote, et in præparatione voluntatis divinæ, seu quantum est ex parte Dei: quomodo autem hoc intelligendum sit postea explicabimus.

12. *Quomodo intelligitur quod Christus dixit: Nemo venit ad me, nisi Pater meus traxerit eum.*—Unde ad locum Joann. 6 respondetur, etsi multi reprobi de facto ad fidem non

trahantur, per eos autem stare quominus trahantur, et ideo etiamsi cum effectu non trahantur, auxilium sufficiens recipere saltem remote, quia Deus paratus est ad trahendos illos. Addo etiam multos non trahi cum effectu, etiamsi proximum auxilium sufficiens ad credendum accipiant, quia credere nolunt. Nam quod Christus dixit: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum*, vel intelligitur de potestate quæ ad effectum reducat, seu (quod perinde est) habet sensum compositum, ac si diceret: Fieri non potest ut aliquis veniat, nisi tractus a Patre, et nihilominus fieri potest ut aliquis possit venire et non trahatur, quia venire non vult; vel etiam intelligi potest abstracte de tractione sive sufficienti, sive efficaci, cum partitione accommodata. Nemo enim potest simpliciter venire, nisi sufficienter, et quantum est ex parte Dei, trahatur, et nullus etiam potest cum effectu venire, nisi efficaciter a Patre trahatur: qualis autem sit hæc efficax tractio, in libro sequenti videbimus. Et quod dictum est de tractione ad fidem, de tractione item ad poenitentiam vel dilectionem intelligendum est. De perseverantia denique quomodo justis sufficiens auxilium ad perseverandum accipiant, licet postea non perseverent, infra tractando de dono perseverantiæ in lib. ult. declarandum est.

13. *Secundo, ad argumentum secundum.*—*Locus D. Pauli Rom. 8 explicatur.*—Ad argumentum secundo loco factum, respondeo probare quidem, respectu vitæ æternæ consequendæ, non dari prædestinatis auxilium sufficiens tantum, sed efficax; non vero probare quin ad plures actus particulares dentur prædestinatis auxilia sufficientia, quæ ab ipsis inefficacia reddantur. Quia sicut prædestinatio non excludit a prædestinato omne peccatum pro toto tempore vitæ, sed pro aliquo, et præsertim pro ultimo vitæ articulo, ita multo minus excludit omnem resistentiam divinatorum auxiliorum sufficientium, ratione cujus sufficientia tantum maneat, et non efficacia. Ad confirmationem autem ex loco Pauli Rom. 8, respondetur solum probare prædestinatis dari auxilia efficacia ad salutem, non tamen probare omnia auxilia quæ illis dantur esse efficacia, quia non omnes effectus illorum sunt necessarii ad salutem consequendam, ad quam prædestinati sunt; vel non omnia actualia auxilia dantur illis ut prædestinatis, seu ex vi prædestinationis, sed ex vi generalis providentiæ gratiæ, aut ob alias divinæ sapientiæ rationes. Vel denique, si dantur eis propter

aliquam eorum utilitatem, possunt simul esse tantum sufficientia in ratione auxiliorum, quia licet non consequantur actus illos ad quos per se ordinantur, et quorum esse possunt principia et causæ, nihilominus esse possunt utilia, ut occasio et materia alterius bonæ operationis, ut satis explicatum est.

CAPUT VIII.

UTRUM AUXILIUM SUFFICIENS DETUR OMNIBUS HOMINIBUS ADULTIS, QUANTUMVIS REPROBI SINT.

1. *Ratio dubitandi et assertio negans.*—*Ex D. Paulo, 2 Tim. 2, Deus vult omnes homines salvos fieri.*—*Sanctus Augustinus quomodo illum locum videatur intelligere.*—De hoc puncto disputavi lib. 4 de Prædest., cap. 1 et 3; non possumus autem hoc loco illud omnino prætermittere, ne seriem doctrinæ interrumpamus, ejusque fundamentum in alium locum remittamus: agemus tamen breviter, addendo potius nonnulla, quam dicta repetendo. Tractamus solum de adultis, quia in illis solum locum habent actualia gratiæ auxilia, ut diximus; obiter tamen, et per quamdam æquiparationem, aliquid de infantibus attingemus. Ratio ergo dubitandi est, quia Deus non vult salvare omnes homines reprobos; ergo non dat omnibus illis sufficientia media vel auxilia quibus salventur. Consequentia patet, quia Deus non dat sufficientia media, nisi quibus vult dare finem; semper enim hæc inter se proportionem servant. Antecedens vero præcipue probatur ex Augustino, qui multis in locis tractans verba Pauli 1 Timoth. 2: *Deus, qui vult omnes homines salvos fieri*, non vult intelligi secundum absolutam et universalem distributionem, sed vel cum distributione accommodata, id est, vult salvare omnes qui salvantur, hoc est, nullus salvatur nisi quem Deus salvari voluerit; vel pro generibus singulorum, non pro singulis generum, id est, ex omnibus ordinibus, seu statibus hominis, vult salvare aliquos, non tamen omnes et singulos omnium ordinum homines; ita habet in Enchirid., cap. 103, et cap. 9, ac lib. 4 contr. Jul., cap. 8, maxime significat fieri non posse, ut in illa universitate omnium hominum parvuli omnes comprehendantur; lib. autem de Prædest. Sanct., cap. 7, de solis prædestinatis distributionem intelligit, et ita videtur reprobos omnes excludere, et idem habet lib. de Corrept. et grat., cap. 14, ubi cap. 15 aliam expositionem ma-

gis metaphoricam addit, quam citato loco tractavi. Et Augustinum imitatur Fulgentius, lib. de Incarn. et grat., cap. 31, ubi priorem expositionem Augustini late prosequitur.

2. *Instantiæ respondetur.* — *Sicut in infantibus sæpe non occurrit sufficiens medium ad salutem, ita et in adultis.* — *Locus Pauli ex Act. Apostol. et ad Rom. 1 explicatur.* — Dices, hæc dicta esse ab Augustino, intelligendo illum locum de voluntate Dei absoluta et efficaci, quam consequentem vocant; melius autem intelligi de voluntate antecedente, et sic Deum velle omnes salvare, etiamsi non salventur, et ex vi illius voluntatis dare omnibus sufficientia auxilia. Sed contra, nam hinc saltem sequitur doctrinam illam non esse certam, sicut neque illa expositio de voluntate antecedente certa est. Denique, quod magis urget, ex illa voluntate antecedente solum sequitur dedisse Deum omnibus hominibus sufficientia media ad salutem in causis universalibus, quas ad nostram salutem providit, non vero particulari unicuique dare auxilium sufficiens, quod in præsentis inquirimus et invenire desideramus. Explicatur assumptum, quia universales causas secundas salutis vocamus Christi redemptionem, Sacramentorum institutionem, præsertim Baptismi in lege nova, vel alterius loco ejus in superioribus temporibus. Item prædicatio fidei per Patriarchas, Prophetas, et Apostolos. Hæc igitur et similes causæ pro omnibus hominibus institutæ sunt, non vero satis sunt ad singulorum salutem, nisi quatenus singulis applicari possunt, quod fit per particularia auxilia, unicuique a Deo provisæ. Hæc autem auxilia non sunt singulis provisæ, neque omnibus in particulari dantur sufficientia; ergo. Hæc ultima propositio probatur primo, argumento parvulorum, quo sæpe utitur Augustinus: nam videmus multos in eo statu relinqui, in quo nullum occurrit medium sufficiens quo possit infanti applicari Baptismus, nec potest alicui humanæ voluntati attribui quod non applicetur, quia sæpe propter solam impotentiam omittitur; cur ergo non poterit idem contingere in adultis? Nam multi non audiunt prædicationem Evangelii, non quia nolunt, sed quia non possunt, et ex hac impotentia sequitur, ut etiam subsequentibus auxiliis sufficientibus careant; et confirmatur, quia Paulus, incidens in similes difficultates de gentibus in suis erroribus et ignorantibus relictis, solum per causas externas et universales respondet, Act. 14; ubi cum Deo dixisset: *Qui*

in præteritis generationibus dimisit omnes gentes ingredi vias suas, quasi tacitæ objectioni respondet, dicens: Et quidem non sine testimonio reliquit semetipsum, benefaciens de celo, dans pluvias et tempora fructifera, implens cibo et lætitia corda nostra. Hoc autem testimonium, et hæc beneficia naturalia quomodo auxilia sufficientia ad salutem esse poterunt? Unde cap. 17 significat nationes illas sine sufficienti auxilio fuisse relictas, dicens: *Tempora hujus ignorantie despiciens Deus;* et ad Rom. 1, licet dicat Gentiles fuisse inexcusabiles, utique quoad peccata contra legem naturæ, significat nihilominus ob eam causam relictos fuisse sine sufficientibus auxiliis, et traditos fuisse in reprobum sensum.

3. *Assertio affirmans et vera probatur.* — *Ex Theologis.* — Nihilominus dicendum est Deum, quantum est ex se, omnibus adultis, etiam reprobis, dare vel offerre auxilia sufficientia ad salutem. Ita docent communiter Scholastici: divus Thomas, 3 contra gent., capite 159, et quæst. 14 de Verit., artic. 11, ad 1; Bonavent. 2, d. 28, art. 1, quæst. 3, ad 1; ubi idem sentit Albert., art. 1, ad 4; et Alensis, 3 part., quæst. 69, membro 3, art. 1; et optime Scot. in 1. d. 47, q. unic., ad 1; et ibi Hervæus, quæst. 2, art. 1; Richard., art. 1, quæst. 1; Gabr., quæst. 1, et alii communiter ibidem; Sot., lib. 2 de Nat. et grat., cap. 18; Vega, lib. 13 in Trid., cap. 13; Bellarm., lib. 2 de Grat. et lib. arb.; late Valent., tom. 2, disp. 8, quæst. 3, punct. 4. Prius autem quam assertionem probemus, oportet illam exponere. Dixi enim *dare vel offerre*, quia auxilium sufficiens proprie non datur, nisi quando homo vocatur, excitatur, aut aliquo simili dono in ipso recepto prævenitur; non est autem necesse ut omnes omnino homines hoc modo recipiant in se auxilium proprium gratiæ, possunt enim multi illud impedire, ut infra videbimus. Et ideo non dixi absolute *dare* omnibus, sed *dare*, vel *offerre*, quia Deus paratus est dare omnibus, et de facto dat si per hominem fortasse non stet; et simili modo, licet Deus paratus sit ad dandum omnibus auxilium proxime sufficiens ad salutem, non tamen omnibus actu dat illud, sed tantum remotum, et quia illo non bene utuntur, non dat proximum, licet de se illud offerat. Et ita de auxilio sufficiente, sive proxime, sive remote, intelligenda est assertio, cum illa tamen limitatione, *Si per eos non stet*, vel, quod perinde est, sub illa disjunctione, quod omnibus datur, vel offertur,

4. *Probatur ex sacra Scriptura 1 Timoth., cap. 2 citat.* — Sic ergo explicata, conclusio probatur ex illo celebri loco 1 Timoth. 2: *Deus vult omnes homines salvos fieri.* Nam legitima expositio est ut de omnibus hominibus simpliciter et sine limitatione intelligatur, et consequenter non de voluntate consequente, et omnino absoluta, sed de antecedente, et aliquo modo conditione includente, debet intelligi, quia prior voluntas non stat cum damnatione reproborum, et posterior sufficit ut Deus, quantum ex se est, velit omnes salvare, et ut ex vi talis voluntatis omnibus offerat sufficientia auxilia ad salutem consequendam. Atque ita exposuit Damascenus locum illum, lib. 4 de Fide, cap. 29, in fine; Ambrosius, lib. 2 de Paradis., cap. 8; Irenæus, lib. 4, cap. 22; Augustinus et Prosper, locis infra citandis, idemque in dicto loco de Prædestinatione late declaravi, et ex contextu et Patribus late ostendi. Ut vero amplius confirmetur, adverto duobus modis posse intelligi, voluisse Deum ex æternitate omnes homines salvare: uno modo, primaria voluntate, quæ intelligatur in eo fuisse priusquam humanæ naturæ generale lapsus prævidisset, et hoc modo facile intelligitur habuisse Deum illam voluntatem erga omnes homines, et ex vi illius omnibus providisse media ad salutem consequendam necessaria; nam omnibus, quantum in se est, contulit originalem justitiam in primo parente, qui, tanquam totius generis caput, pro omnibus posteris illam accepit, cum auxiliis sufficientibus ad illam conservandam, si velit; ergo, secundum illam voluntatem et providentiam antecedentem (ut sic dicam) lapsus humanæ naturæ, omnes salvare Deus voluit, et sufficientia media omnibus obtulit, et suo modo dedit; sicut etiam omnes Angelos salvare voluit, et sine ulla dubitatione omnibus sufficientissima media et auxilia præbuit, licet multi male eis usi fuerint, quod certe Deus non ignoravit, et secreto iudicio permisit. Et ratio omnibus communis est, quia utramque naturam, Angelicam et humanam, Deus propter supernaturalem beatitudinem consequendam creavit, et ideo ad ejusdem providentiam pertinuit utramque per sufficientia media ad eum finem dirigere, quæ providentia illam voluntatem salvandi omnes, quantum in se est, supponit; hic autem sensus nobis non sufficit, quia loquimur de hominibus, prout nunc existunt, et per divinam providentiam ad æternam salutem, non obstante primi hominis lapsu, ordinantur.

5. *Confirmatur, et vox vult Deus expenditur.* — *Ita explicavit sanctus Prosper.* — Alio ergo modo intelligenda sunt illa verba Pauli de omnibus lapsis, et prout nunc ex vitiata radice nascuntur, qui sensus sine dubio est intentus a Paulo. Primo, quia necessarius est ut ratio ejus sit efficax; obsecraverat enim rogare pro omnibus hominibus, utique mortalibus et peccato infectis, prout nunc existunt, et rationem reddens adjungit: *Hoc enim bonum est et acceptum coram Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri;* ergo necesse est ut de eisdem hominibus hoc intelligat, pro quibus orandum esse dixerat, et ideo non sine mysterio nomine Salvatoris et verbo salvandi usus est, ut denotaret, non obstantibus peccatis, orandum esse pro omnibus, quia omnes Deus salvare vult; imo etiam addidit: *Et ad agnitionem veritatis venire,* quo indicavit etiam infideles omnes sub ea distributione comprehendi, quia illos etiam Deus vult illuminare et salvare. Secundo, hoc maxime confirmat alia ratio ab eodem Paulo subjuncta: *Unus enim Deus, unus et mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus,* ac si diceret: Sicut unus est Deus, qui omnes homines ad beatitudinem ordinavit, ita est unus et idem Deus, qui eosdem homines a se per peccatum aversos, et ab illa felicitate extorres, salvare voluit, et unum mediatorem illis dedit, qui semetipsum in redemptionem pro omnibus daret, pro omnibus moriendo; non est autem Christus mortuus pro innocentibus, sed pro hominibus lapsis; nam ut idem Paulus ait 2 Corinth. 5: *Si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt, et pro omnibus mortuus est Christus; ipse enim est* (ait Joan., 1 can., c. 21) *propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi;* ergo sicut omnes homines lapsos redemit Christus, ita etiam omnes voluit salvare Deus; nam ex illa voluntate universalem redemptionem omnibus dedit; ergo ex eadem omnibus, quantum in se est, sufficientia media et auxilia salutis providet et confert. Nam Christi redemptio, sicut pro quibusdam est efficax, ita pro omnibus est sufficiens; ac subinde omnibus meruit sufficientia media, et pro omnibus Deum placavit, ut, non obstantibus peccatis, eis necessaria salutis subsidia, quantum in se est, non deneget. Et hunc sensum etiam confirmat verbum de præsentis *vult*, quia si post lapsus naturæ non habuisset Deus voluntatem salvandi omnes homines, non ob-

stante illo lapsu, licet antea habuisset voluntatem salvandi omnes homines, si in statu justitiæ originalis permansissent, non posset dici nunc velle salvare omnes, quia jam, ut more nostro loquamur, illam priorem voluntatem mutasset, id est, mutatis rebus ab illa destitisset; non autem ita (ait Paulus), sed non obstante peccato, nunc etiam vult omnes salvare, et ad agnitionem veritatis venire; sub quibus verbis videtur media salutis sufficientia, tanquam in radice, comprehendisse; nam qui vult salutem, consequenter vult sufficientia salutis auxilia præbere. Atque in hunc fere modum explicat late locum illum Prosper, lib. de Vocat. gent., cap. 12, alias 4, ubi verba Pauli tractare incipit, et hanc partem prosequitur lib. 2, cap. 1, 3, 7 et 8, alias 2, 49, 23 et 25; et in hoc ultimo loco dicit ex beneficiis Dei monstrari voluntatem quam habet salvandi homines, utique a posteriori; dat enim omnibus sufficientia auxilia, quorum causa est ipsa voluntas; et ideo a priori ex voluntate illa Dei assertionem nostram demonstramus. Eandem expositionem habet ad secundam objectionem Vincentii, et ad octavam Gallorum, ubi etiam ait non esse dicendum Deum tantum voluisse salvare prædestinatos, sed voluisse salvare omnes; voluntatis autem suæ propositum in solis prædestinatis implevisse.

6. *Alter locus sancti Pauli 1 Tim., cap. 4, pro eadem re expenditur, tum ex Theophylacto, tum ex sanctis Augustino et Fulgentio.* — Cui consonat illud 1 Timoth. 4: *Speramus in Deum vivum, qui est salvator hominum omnium, maxime fidelium*, omnium quidem sufficienter, maxime vero, id est, efficaciter, fidelium, utique in fide viva ambulantium et perseverantium; unde Theophylact. ibi: *Omnes quidem vult salvos fieri, majorem tamen diligentiam (id est, providentiam) erga fideles ostendit; nec alia certe videtur fuisse mens D. Augustini; simpliciter enim intellexit Deum velle omnes homines lapsos in Adamo salvare per Christum, ut cap. 18 ostendemus, ex libro de Spirit. et litter., cap. 33, ubi hac ratione dicit infideles contra voluntatem Dei facere, cum nolunt credere, cum voluntas Dei sit salvandi illos omnes, quantum est ex se; ad majorem autem abundantiam, et suæ doctrinæ defensionem, voluit in aliis locis explicare quomodo verba Pauli, etiam de voluntate efficaci et consequente intellecta, veram interpretationem habere possent, quamvis revera, absolute loquendo, necessaria non sit; et ad*

eundem modum exponendus est Fulgentius. Nam licet in illo cap. 31 nimium illi expositioni insistere videatur, tamen cap. 29 moderatius loquitur, ubi significat Pelagianos ita verba Pauli interpretatos esse, ut sentirent Deum non aliter velle salvare electos, quam reliquos; unde, ait, hanc Dei voluntatem sicut in vasis misericordiæ, sic et in vasis iræ accipiendam existimant, et in fine concludit: *Proinde hi qui voluntatem Dei, qua omnes homines vult salvos fieri, æqualem circa redimendos et damnandos existimant, cum interrogati fuerint cur velit Deus omnes homines salvos fieri, nec tamen omnes salvi faciant, quid respondebunt?* Ubi non solum non negat, sed potius supponere videtur Deum velle omnes homines salvos facere; sed addit non æqualiter omnes, nam quosdam vult salvare absoluta et efficaci voluntate; qui etiam suo modo sunt omnes, quia in effectu nullus salvatur, nisi quos Deus isto modo vult salvare; et voluntatem Dei ait esse principium omnis gratiæ, quod etiam cum proportionem verum est, nam in electis est principium gratiæ efficaciæ, in aliis sufficientis.

7. *Eadem expositio ex aliis Scripturæ locis confirmatur.* — *Item ex sancto Irenæo, Origene et Gregorio.* — Et juxta dictam expositionem etiam veritatem hanc confirmant alia sacræ Scripturæ loca, quibus universalis redemptio Christi comprobatur, ut ex illo Psal. 129: *Apud Dominum misericordia, et copiosa apud eum redemptio, quem exponens Paulus, 1 Corinth. 15, ait: Sicut in Adamo omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur; et apertius 2 Corinth. 5: Si unus pro omnibus mortuus, ergo omnes mortui sunt, et pro omnibus mortuus est Christus; Rom. 5: Non sicut delictum, ita et donum; si enim unius delicto multi mortui sunt, multo magis gratia Dei, et donum in gratia unius hominis Jesu Christi in plures abundavit; unde infra concludit: Igitur sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic et per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ.* At vero per Adæ peccatum omnes omnino homines lapsi sunt; ergo per Christum omnes sunt justificati; saltem quoad sufficientiam, quantum est ex parte Dei, omnes reconciliati sunt; omnibus ergo parata sunt propter Christum sufficientia auxilia, quibus salvari possint; nam, ut dicitur ad Coloss. 1: *In ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare, et per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis*

ejus, sive quæ in cælis, sive quæ in terris sunt; in cap. 2 ad Colossenses, ad omnes loquens ait: Et vos cum mortui essetis in delictis, et præputio carnis vestræ, convivificavit cum illo, donans vobis omnia delicta, dicens quod adversus nos erat, chirographum decreti, affigens illud cruci; ac tandem ad Ephes. 1: Ut notum faceret nobis Sacramentum voluntatis suæ secundum beneplacitum ejus, quod proposuit in eo in dispensatione plenitudinis temporum instaurare omnia in Christo; et infinita similia in Scripturis inveniuntur, quibus aperte docemur omnes homines assecutos esse in Christo remissionem peccatorum, et divinam reconciliationem. Unde cum non omnes in effectu illam obtineant, necesse est ut saltem sufficienter, et quantum est ex parte Dei illam consequantur, quod verum esse non potest nisi omnes aliquo modo auxilia sufficientia ad salutem reciperent, quæ ratio locupletari potest ex Irenæo, lib. 3, cap. 17, et Origen., homil. 20 in Numer., et Greg., lib. 33 Moral., cap. 14; unde hoc etiam confirmant testimonia supra adducta, ad probandum auxilium sufficiens; quia omnibus hominibus pereuntibus attribuitur quod salvi non fiant: non posset autem hoc attribui eis, nisi haberent in manu sua omnia necessaria auxilia, ut cap. 2 ostendimus: ergo hæc dantur omnibus, et in capitibus sequentibus, ad particulares hominum status descendendo, id amplius ex Scriptura confirmabimus.

8. *Probatur assertio ratione.* — Ratio autem hujus veritatis, cum totum hoc negotium humanæ salutis ex supernaturali gratia pendeat, eisdem testimoniis ac principiis revelatis sumenda est; habemus enim ex Scriptura Deum creasse homines propter felicitatem æternam, ex quo principio aperte sequitur debuisse illis dare sufficientia auxilia ad illam consequendam; quæ ratio non minus procedit post peccatum primi hominis, quam antea, quia etiam post illum lapsum noluit Deus naturam humanam illa beatitudine privare; sed in hoc etiam statu naturæ lapsæ voluit omnes homines ad eundem finem multiplicare, et in via ad eandem beatitudinem constituere, et ab hac ordinatione et a statu viatoris neminem exceptit; ergo ratio sapientis providentiæ postulabat ut omnibus sufficientia media provideret. Præterea hujus providentiæ evidens argumentum sumitur ex Christi redemptione, ut diximus; docet enim fides Deum voluisse redimere omnes homines lapsos, et per Christi mortem illam redemptionem consummatam

esse; ergo hinc recte colligimus Christum omnibus meruisse omnia necessaria auxilia quibus salutem consequi possent; ergo hinc inde optime infertur omnibus dari aliquo modo. Probatur consequentia, quia illud meritum est efficax, et de rigore justitiæ, et ideo, illo supposito, non posset Deus juste debitum præmium illi non conferre.

9. *Instantiæ respondetur.* — Dices: hoc argumentum probaretur omnes etiam esse cum effectu salvandos, propter Christum. Respondetur negando sequelam, quia non hoc meruit Christus, nec ad hoc obtulit Christus sua merita respectu omnium, sed tantum respectu electorum, quibus juxta Patris agnitam voluntatem auxilia simpliciter efficaciter dari voluit, et pro illis impetrandis merita sua in particulari obtulit. Cæteris vero auxilia sufficientia promeruit, et ut essent efficaciter, si ipsi vellent, vel non resisterent. Tandem rationes congruentes hujus providentiæ ex multis attributis divinis desumi possent, nam imprimis valde consentaneum est divinæ bonitati, ut nullum a participatione suæ gratiæ ex se repellat, et ut neminem deserat, nisi prius deseratur ab ipso. Deinde est etiam divinæ misericordiæ decentissimum, ut neminem a participatione redemptionis et remissione peccati ex parte sua excludat. Præterea, si respectum ad Christum et ejus passionem consideremus, est illi hoc ex justitia debitum. Denique est valde consentaneum providentiæ generali, et quasi legali, et distributiæ justitiæ, ut a participatione præmii generaliter omnibus propositi et medicinæ omnibus sufficientis et superabundantis, neminem ex se repellat, sed potius omnibus sufficienter provideat.

10. *Respondetur ad rationem dubitandi.* — Ad primam igitur dubitandi rationem, respondetur jam est, assumptum esse falsum; nam Deus, quantum est ex se, omnes salvare vult et cupit: nec Augustinus hoc negat, licet verba Apostoli interdum aliter interpretetur, ut jam diximus; nec ob illam interpretationem Augustini doctrina hæc in se incerta redditur; tum quia non nititur solum illis verbis Pauli, sed etiam aliis firmissimis fidei fundamentis; tum etiam quia licet Augustinus addat alios sensus, non intendit hunc excludere, quem aliis locis tradit, sicut etiam Prosper, magnus Augustini discipulus, et acerrimus ejus defensor, eum interpretatus est; altera vero difficultas, quæ per modum replicæ ibi proponitur, postulat modum hujus sufficientis auxilii, præsertim in infidelibus, quem in sequentibus capitibus fuse tractabimus.